Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 1057

Quelle:
Copyright:

XIV. vixit. Opus noſtrum ante annum 1306. compilavit, ut e dicendis facile erues. An vero id inchoaverit *Joh. Gualenſis* O. M. et *Thomas* noſter perfecerit, ut vult e *Codice Coll. Lincoln. Oxon.* *Tannerus Bibl. Brit. Hib. p.* 570. non ita evictum eſt. Hallucinatus eſt idem, dum adſerit, *Thomae Manipulum* Libris II. conſtare, quorum Prioris Praefatio incipiat: *Abiit in agrum et collegit ſpicas* &c. alterius vero: *Bonum eſt in cibo cum gratiarum* &c. Sola enim Praefatio eſt: *Abiit in agrum* &c. Alterum: *Bonum eſt* &c. initium ipſius Operis, ſive Tituli I. *de Abſtinentia.* De ipſa porro Praefatione mirum, haberi eam in vetuſtiſſimis Editionibus, in recentioribus deeſſe, ut in *Veneta* 1550. 8. min. et ipſa *Vindobonenſi* 1736. 8. Enumerat in ea *Thomas* Autores ſacros et profanos, quos excerpſit ſaepius, atque hos inter in Edit. *Placentina* ſuprac. *Caeſarium* deſiderari, *Anſelmum* in *Aurelium* corruptum eſſe video. Ait praeterea in illa Autor: *Iſtorum autem auctorum libros quantum ad principia et fines et nomina et partialium librorum numerum in fine huius operis ſignaui, ut facilius poſſint cognoſci et ſecurius allegari.* Et en tibi *Tannerum* iterum, qui *l. cit.* ex iſthoc Indice diſtinctum *Libellum de ſcriptoribus eccleſiaſticis eorumque ſcriptis* creat. Ad calcem *Manipuli* Codex noſter: *Hoc opus eſt compilatum a Magiſtro thoma de ybernia quondam ſocio de ſerbona. Explicit manipulus florum. deo gratias.* Tum Elenchus alphabeticus Titulorum ab *Abſtinentia* usque ad *Xpus*, ſub quo: *Finit anno domini. M°. CCC°. VI°. die veneris poſt paſſionem apoſtolorum petri et pauli*, quam notam Librarii habeo. Demum Index ille, de quo ſupra, hoc initio: *Notandum eſt, quod libros originalium ſanctorum ac doctorum quantum ad principia et fines ac partialium librorum numerum hic ſignare curaui.* Omiſerunt illum Typographi injuria; curioſus enim eſt ad cognoſcendum, quae Scripta illo aevo integra, quae pro genuinis habita fuerint. Ex eo noto: *Dionyſio* dicto *Areopagitae* quatuor adſignari Commentatores, *Johannem* (Erigenam) *Scotum*, *Johannem* (Gallum) *ſarracenum*, *Maximum* (CPolit. Monachum) et *Hugonem* (Victorinum). Item citari *R. Moſis Ducem dubiorum uel neuerorum*, quod manifeſte ignorantia linguae corruptum eſt e מורה נבוכים, atque hinc extitiſſe antiquam ejus Verſionem latinam, quam poſt *Joh. Seldenum* arguit doctiſſ. *Wolfius Bibl. Hebr.* T. I. p. 857. in *not.*

CCCCXLIV.

Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. nunc 134. antiquo vero ad marginem externum notato numero 152. unde 18. Folia e medio deperiiſſe conſtat, *fol.* max. per duas columnas ſplendide exaratus, literis initiorum picturatis, miniatisque titulis, in ima *fol.* 2. ora ita inſcribitur manu Sec. XVI. *Liber iſte congregationis. S. Juſti-* R. 1